

» Monticuli prosterni debeat in totum, nec ibi de novo edificari
 » possit. A termino vero dictorum decem annorum in antea tracten-
 » tur equaliter sicut alii subditi et districtuales Vincentie. Nec ag-
 » gravari debeant realiter vel personaliter, ultra comunem im-
 » positionem fiendam et imponendam generaliter districtualibus
 » vinentinis.

» Item pro debitis in quibus dicti homines de Monticulo tene-
 » rentur aliquibus personis, cujuscumque conditionis existant, cum
 » carta vel sine carta, et ex quacumque causa ab hinc retro, ha-
 » beant dicti homines et quilibet eorum comuniter et divisim im-
 » munitatem et privilegium, quod ipsi aut aliqui eorum fideiussores
 » non possint realiter vel personaliter conveniri vel molestari, hinc
 » ad quinque annos proximos, in aliqua terra vel loco subiecto do-
 » minis de la Scala. Et tunc adveniente termino non possit ab eis
 » peti, nisi verum et justum capitale, sine aliquo interesse, damno,
 » vel pena. Salvo quod de laboreriis, afflictibus et livellationibus,
 » quas ab isto anno in antea laborarent et perciperent, respondere
 » et satisfacere terrarum et possessionum dominis teneantur. Et de
 » debitis, que deinceps contraherent, possint debite, non obstante
 » dicto privilegio et immunitate, sicut alii conveniri.

» Item quod comunia Arzignani, Clampi nogaroli, Altissimi,
 » Sancti Petri in Nuzolino, Dursi et Crespaori, cum Marana, qui
 » adhererunt dictis de Monticulo et fuerunt de sequela eorum, sint
 » et esse debeant comuniter et singulariter liberi et absoluti ab
 » omnibus et singulis injuriis, offensionibus, bannis, processibus et
 » condemnationibus, datis, gabellis, taleis, et collectis, prout et sicut
 » dictum est supra de hominibus Monticuli, et similem immunitatem
 » et privilegium habeant tam decem annorum pro factionibus et
 » oneribus imponendis, quam etiam quinque annorum pro de-
 » bitis, qualem habere debent homines Monticuli sicut supra est
 » expressum.

» Item quod Jacobucius de Arzignano et fratres filii quondam
 » domini Sigifredi de Arzignano, Franciscus Malacapella et fratres